quando nos adhortatur ut Dei voluntati obsequamur,
quia ipse primus perfectius, quam dici possit, eandem impleverit;
Quicumque, inquit, voluntatem fecerit Patris mei, qui est
in coelis, ille est frater meus, et soror, et mater.
Summe ille commiserationi erga homines id donans, quod
ipse a natura habebat. Erat enim Patris filius non
secundum gratiam, sed secundum naturam. Implens autem
secundum humanam naturam voluntatem ejus, eos, qui ipsum
imitentur eandem implendo, ad adoptionem traducit,
hisque fratrum nomen gratiose tribuit. Et quid tandem objiciet
quis illis verbis, quibus Servator Patrem suum coelestem et
aeternali coeli collaudat? Quid dico? Quomodo impuden-
tissimi Sociniani non erubescunt ad voces Domini nostri:
Confiteor Tibi, Pater, Domine coeli et terrae. Non
enim coeli tantum Dominum eundem in his, sed et terrae
diserte asserit. Quid hoc testimonio luculentius? Quid verius etiam
ad ostendendum Patrem Domini nostri Jesu Christi creatorem
et Dominum universi esse, et velut in triumpho sistendam
pietatis hujus adversae rebellionem? Rursus
quando Princeps Apostolorum Petrus Deum confitetur
communem nostrum Magistrum et Deum, quasi conceptis verbis
hanc ejus confessionem divinitatis suae praeconem bene
beatum praedicat, revelationem autem ipsi Patrem in coelis
suppeditasse docet. Beatus es, dicens, Barjona
quia caro et sanguis non revelavit hoc tibi, sed
Pater meus, qui est in coelis. Et tibi dico: Tu es
Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam
meam,